


ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae:

In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arezzo - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carrù - Castellamonte - Castelnuovo di Carfagnana - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Como - Cortona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciano Marina - Merano - Messina - Milano - Mondovì - Montesampietranello - Napoli - Nocera Inferiore - Norcia - Orbetello - Orvieto - Pagani - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Roma - Salerno - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exteras gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona - Montblanch in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tautah, Beni, Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashn, Fayoum, Kaf El Chelkh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Alessandretta, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

AL
LATIN

Premium annuae sub
doll. 2,40; sh. 10
rem, *Romam, V*

be "
apud omnes

Pernicosa ill
novarum studia,
sunt, quum prim
nam miscuissent
itinere ad philos
omnes civilis con
nerunt. Ex hoc
centiora illa eff
nimirum in m
superiore saeculo
proposita, perinde
menta novi iuris,
Dum igitur in e
exitium unde vix
undique et nunc
ius, non inutile
quodnam ius in
inducendum tan
novi iuris, quod
lutio, an potius al
distet cum sua
progressus.

Quo vero fac
possit quae sint
dum necessaria,
quae huc usque

I. B. PARAVIA & SOC.

TORINO - ROMA - MILANO - FIRENZE - NAPOLI

PALERMO - GENOVA (B. DIENA bibliopola) - TRIESTE (L. CAPPELLI bibliopola)

CORPUS SCRIPTORUM LATINORUM PARAVIANUM

Moderante CAROLO PASCAL

Novae collectionis huius consilium id fuit, ut Corpus Latinorum scriptorum haberetur iuxta traditionem gravissimorum veterum codicum genuine redactum, sine ullo cuiusvis arbitrio, et in quo veluti corrupti ii loci (cum emendatione maxime probabili) unice designarentur, qui apud vulgatam codicum lectionem nullum haberent sensum; de ceteris, ne mentio quidem fieret variarum conjectarum, aut immutationum sive propositarum, sive inductarum in textum.

Singula volumina, eleganter instructa atque parvo pretio venum data, subiectis notis parent; complectuntur vero et praefationem latine exaratam circa opus eiusque traditionem manu scriptam, et textum castigatissimum, et appendicem criticam eius rationes probantem; denique indices aliquot.

Paraviani huius Corporis volumina XXIV iam prodierunt.

ilia - Arezzo - Assisi - Aversa -
Bologna - Bolzano - Bra - Brescia -
Carrù - Castellamonte - Castel-
litta di Castello - Como - Cortona
no - Fossato - Frascati - Frosinone
ivorno - Lucca - Luserna S. Gio-
- Montesampietraneli - Napoli -
Pietrasanta - Pinerolo - Piombino
za - Roma - Salerno - Sansevero
niata - Torre Pellice - Trento -

ona - Montblanch in Hispania -
Tautah, Beni, Mazar, Beni Soueff,
ebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig
Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria
Smirne in Asia Minore - Rodi in

Nummariae sunt.

SOC.

NE - NAPOLI
TE (L. CAPPELLI bibliopola)

PARAVIANUM

CAL

opus Latinorum scriptorum
dicum genuine redactum,
ii loci (cum emendatione
gatam codicum lectionem
n fieret variarum conjecta-
ductarum in textum.
pretio venum data, subiectis
tine exaratam circa opus
atissimum, et appendicem
quot.

/ iam prodierunt.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (fr. 12;
doll. 2,40; sh. 10, etc.); ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI docto-
rem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.*

De "iure novo", apud omnes gentes inducendo

Perniciosa illa ac deploranda rerum novarum studia, quae saeculo XVI excitata sunt, quum primum religionem christianam miscuissent, mox naturali quodam itinere ad philosophiam, a philosophia ad omnes civilis communitatis ordines pervererunt. Ex hoc veluti fonte repetenda recentiora illa effrenatae libertatis capita, nimirum in maximis perturbationibus superiore saeculo excogitata in medioque proposita, perinde ac principia et fundamenta novi iuris, quod fuerit ante ignotum. Dum igitur in eo sumus, ut post immane exitium unde vix nos liberavimus, novum undique et nunc invocetur et praedicetur ius, non inutile quidem erit investigare quodnam ius in humani generis bonum inducendum tandem sit; num forte illius novi iuris, quod innuimus, ulterior evolutionio, an potius aliud quoddam, a quo longe distet cum sua ruina civilis et humanus progressus.

Quo vero facilius intelligere quisque possit quae sint ad huiusmodi ius condendum necessaria, principia revocare iuvat, quae hoc usque adhibita, fructus quos ipsi

in hominum civili commercio lugemus, genuerunt. Atqui eorum illud est maximum, omnes homines, quem ad modum genere naturaque similes intelliguntur, ita reapse esse in actione vitae inter se pares: unumquemque ita esse sui iuris, ut nullo modo sit alterius auctoritate obnoxius, cogitare de re qualibet quae velit, agere quod lubeat, libere posse: imperandi aliis ius esse in nemine. His informata disciplinis societate, principatus non est nisi populi voluntas, qui ut in sui ipsius unice est potestate, ita sibimetipsi solus imperat: deligit autem, quibus se committat, ita tamen ut imperii non tam ius quam munus in eos transferat, idque suo nomine exercendum. In silentio iacet dominatio divina, non secus ac vel Deus aut nullus esset, aut humani generis societatem nihil curaret; vel homines sive singuli sive sociati nihil Deo deberent, vel principatus cogitari posset ullus, cuius non in Deo ipso caussa et vis et auctoritas tota resideat.

Quo modo, ut perspicitur, est res publica nihil aliud nisi magistra, et gubernatrix sui multitudi; quumque populus omnium iurium omnisque potestatis fontem in se ipse continere dicatur, consequens erit, ut nulla ratione officii obligatam Deo se civitas putet; ut religionem publice profi-

teatur nullam; nec debeat ex pluribus, quae vera sola sit, quaerere, nec unam quamdam ceteris anteponere, nec uni maxime favere, sed singulis generibus aequalitatem iuris tribuere ad eum finem, dum disciplina reipublicae ne quid ab illis detrimenti capiat. Consentaneum erit, iudicio singulorum permittere omnem de religione quaestionem; licere cuique aut sequi quam ipse malit, aut omnino nullam, si nullam probet. Hinc profecto illa nascuntur: exlex uniuscuiusque conscientiae iudicium; liberrimae de Deo colendo, de non colendo, sententiae; infinita tum cogitandi, tum co-gitata publicandi licentia, et similia.

**

Contra huiusmodi principia stat doctrina edicens in hominum societate libertatem veri nominis non esse in eo positam ut agas quod lubet; ex qua quidem maxima existit turba et confusio in oppressionem civitatis evasura; sed in hoc, ut per leges civiles expeditius possis secundum legis aeternae praescripta vivere. Itaque eorum qui praesunt non in eo sita libertas est, ut imperare temere et ad libidinem queant, quod pariter flagitosum esset et cum summa etiam reipublicae pernicie coniunctum; sed humanarum vis legum haec debet esse, ut ab aeterna lege manare intelligentur, nec quidquam sancire, quod non in ea, veluti in principio universi iuris, contineatur. Si quid igitur ab aliqua potestate sanciatur, quod a principiis rectae rationis dissideat, sitque reipublicae perniciosum, vim legis nullam haberet, quia nec regula iustitiae esset, et homines a bono, cui nata societas est, abduceret.

Doctrina haec igitur non eam probat libertatem, quae verius est licentia; et, quem sit praeter rationem, vera servitus est. Contra, illam adsciscit tamquam germanam atque expetendam libertatem, quae, si privatim spectetur, erroribus et cupiditatibus, tetricis dominis, hominem ser-

vire non sinit: si publice, civibus sapienter praeest, facultatem augendorum commodorum large ministrat; remque publicam ab alieno arbitrio defendit. Itaque si ex altera parte libertatem respuit immodicam, quae et privatis et populis in licentiam vel in servitutem cadit, ex altera volens et libens amplectitur res meliores quas dies afferat, si vere prosperitatem contineant huius vitae, quae quoddam est velut stadium ad alteram, eamque perpetuo mansuram.

Admittit quidem cogitandi, scribendi, docendi, itemque promiscuam religionum libertatem; sed non veluti iura totidem, quae homini natura dederit. Nam si vere natura dedisset, imperium Dei detrectari ius esset, nec ulla temperari lege libertas humana posset. Possunt quidem ista libertatis genera, si iustae causae sint, tolerari; definita tamen moderatione, ne in libidinem atque insolentiam degenerent. Omnis enim libertas legitima petenda, quatenus rerum honestarum maiorem facultatem afferat, praeterea nunquam.

Sic ubi dominatus premat aut impendeat eiusmodi, qui oppressam iniusta vi teneat civitatem, fas est aliam quaerere temperationem reipublicae, in qua agere cum libertate concessum sit: tunc enim non illa expetitur immodica et vitiosa libertas, sed sublevatio aliqua, salutis omnium caussa quaeritur, et hoc unice agitur, ut ubi rerum malarum licentia tribuitur, id potestas honeste faciendi ne impediatur.

Atque etiam malle reipublicae statum populari temperatum genere, docet non esse per se contra officium, salvis tamen rectis principiis de ortu atque administratione publicae potestatis.

Ad res publicas gerendas accedere generaliter honestum tenet; imo vero nostra doctrina probat, singulos operam suam in communem afferre fructum, et quantum quisque industria potest, tueri, conservare, augere rempublicam.

Neque illud damnat, velle gentem nemini servire nec externo, nec domino, si modo fieri incolumi iustitia queat. Denique nec eos reprehendit, qui efficere volunt, ut civitates suis legibus vivant, civesque omnes quam maxima augendorum commodorum facultate donentur.

**

Haec doctrinae alterius summa de civitatibus per se et cum ceteris in pace regendis, cui novum procul dubio ius erit informandum, si tranquillitas ordinis vere ab eo exspectetur.

Sed facile hic lector dixerit: Atqui Christianae Ecclesiae hoc ius est; quid igitur novi, si abhinc tot saecula viget?

O miseros nos! Vetus utique ius est; at simul novum, quippe quod singulorum temporum sit omniumque locorum; oblitum vero, nec heu! vigens.

ROMANUS.



De rationibus latinam linguam docendi

Quum scriptum perlegerem de studio litterarum latinarum recens in *Alma Roma* editum,¹ sponte mihi redit in mentem ratio latinam linguam docendi, quam amicus meus clarissimus, doctor latinis litteris in Urbe nostra tradendis, heu! cito nimis e vivis eruptus, octo capitibus concludebat, quae hodie revocare haud profecto incongruum est. Ea sunt quae sequuntur:

I. Ante omnia ponendum est, tirones a sua ipsorum lingua ad latinam provehi debere, iuvantibus praesertim vocibus patrii sermonis, quae fere nullo negotio et brevi immutatione in latinum transmigraverint.

¹ Cf. fasc. sup.

II. Praecepta brevissima sint, eaque universalia, certis vallata legibus, quorum « rationalis causa » alte haereat mentibus tirorum insculpta. Hinc enim non memoria labili et in pueris vaga, sed intellectu quae sunt latina tenebunt aeternum.

III. Latina in schola latine loquatur quisque passim, nec diversus a latino ibi sermo insonet, praecepte exemplum praebente familiari sermocinatione illa, qua Terentius, qua Plautus usi sunt.

IV. Data hac facilitate eloquii, facilissimi de latinis habeantur auctores praemani bus, extempore interpretandi diuque, prout Caesar, atque recentiores Gandinus, Vallaurius, Lhomond, Valla et huiusmodi.

V. Removeantur omnino steriles illae propositiones interpretandae, quae « exercitationes » dicuntur. Exercitatio interpretationis quaeratur ab historia – eritque duplex utilitas; – quaeratur a narrationibus affabre dolatis, ut adolescens delectetur interpretans, et imaginibus erudiatur.

VI. Assuecant pueri commutandis propositionibus, « aequipollentes », ut aiunt, pro datis ponentes, etiamsi ad vitandas difficultates hoc faciant. Acuitur namque mens hac exercitatione, et vivae rei studi debunt, non literae servili, quae occidit, et ridicula plerumque aequivoca parit.


VII. Quae ex patro eloquio interpretanda traduntur, ea sint genuino, excellenti, purissimo sermone praeparata, ne suum amittant discipuli, dum latinum quaerunt.

VIII. Datis quibusdam e latinis auctoribus, frustula quaedam elegantur ex paginis, quae diversis concepta verbis aliisque vocabulis, latinis quidem, tirones referant scripta. Exercitationem hanc, ad eloquentiam comparandam aemulatione, Cicero et de se in libro *de Oratore* narrat, et valde commendat. Quod autem opportunum eloquentiae, id etiam adipiscendo linguae usui idoneum iudico.

Haec ille: qui addebat sese de huiusmodi erudiendi ratione experimenta ea egisse, ut exitu comprobatam omnino rationis eiusdem virtutem viderit. Duos aiebat se impendere menses in adstruenda quasi crata ossea latini sermonis, et in praecipuis inter italicam et latinam linguam differentias notandas; quattuor autem insequentibus mensibus eo rem devovere, ut ipse quotidie italicas fabellas patrio sermone proferret; discipuli latine statim nec incompte perscriberent: idque non brevi expositione narrando, sed ferme horae spatio, et cogitatione hac illac decurrente et equitante, atque magna quidem cum voluptate sribentium.

Non igitur - repetere iuvat - defectu ingeniorum, sed disciplinae vitio difficilima latini sermonis exercitatio appetet; quae tamen, ut in cuiusvis linguae cognitione, sic in latinae est omnino necessaria. In quavis enim adipiscenda institutione duo praecipue tenenda sunt, quae cardines quodammodo constituunt, quibus omnis imponitur ordo rerum: alterum rei assequenda doctrina; alterum eius usus atque habitus. Hisce tantum geminatis iteratisque actis, quod fuerat rerum contemplatio, id vera fit effigies, efficitque sensus.

A. FULCONIS.



DE FESTO PURIFICATIONIS B. M. V. HISTORICAE ANIMADVERSIONES

Festum Purificationis Beatae Virginis Mariae magna complectens mysteria in Ecclesia Catholica die secunda mensis Februarii sollemniter celebratur.

Nam Virgo Dei Mater, qua solebat humilitate, prima semper in opere, ac tamen ultima in ordine, se legi subiecit, qua Iudaeae mulieres, iuxta verba Levitici, adstrige-

bantur, purificandi gratia, templum post quadraginta a partu dies adire. Quamquam, ut sanctus Thomas animadvertisit, Beata Virgo non tenebatur illo pracepto, sed voluntarie purgationis ritum implevit. Ut igitur habet Rabanus Maurus, « statuta est in Ecclesia festivitas haec, quia Matrem Domini, secundum legem, hac die constabat purgari, non quod aliqua legali purgatione indiquerit, quae Dominum gestabat legis, sed quia Iesus non venit legem solvere, sed adimplere ».

Appellatum quoque hoc festum fuit: « Oblatio Christi ad templum », ita ut Macri, in suis notis circa ecclesiastica vocabula, verbo *hypante*, vel *hypapante* (occursum) scripsiterit Graecos hoc nomine festum Purificationis intelligere, ob senis Simeonis occursum in Virginem et Iesum in templo. Hac itaque de re in *Libro pontificali* Sergii Summi Pontificis, in notis a Vignalio huic libro additis, legitur: « Festum hoc olim sub titulo sancti Simeonis celebrabatur; at hodie apud Graecos, et apud catholicos Ambrosianos tamquam festum Domini celebratur, dum Ecclesia Catholica Romana festum hoc semper inter festa Beatae Mariae Virginis enumeravit ». Quanam autem de causa Graeci inter dominica festa hoc adscripserint, ex Nicephoro colligi potest; ut scilicet irrefragabile testimonium humanae Christi generationis indicarent.

At quo tempore solemne hoc constitutum fecerit et quo auctore neque manifeste patet, neque bono iure decerni potest.

Nonnulli enim pro *Lupercalibus* institutum fuisse praesumunt. Praesumunt, inquam, quia demonstrare minime possunt. Nam Lupercalia festa, quae, ab Evandro rege, ut putabant, indicta, Romae mense Februario celebrabantur deo Pan dicata, a Summo Pontifice Gelasio I, circa v saeculi exitum, vetita certe fuerunt, uti Baronius alii docent; haud vero inde sequitur Summum illum Pontificem huius festi Pu-

rificationis auctorem fuisse; nam et sapientissimi scriptores negant, nullamque mentionem de re invenire datum est apud commentarium ab ipso Baronio in annalibus vulgato, et sub a. Chr. 496 inserto. Praeterea alii asserunt festum Purificationis ante hoc tempus iam celebrari; id est Iustino imperante ac saevissima Constantinopolim urbem peste vastante. Immo Pagius Senior (a. Chr. 544, n. 8) et Martene (*De antiqua Ecclesiae disciplina*, cap. 15) aiunt, festum hoc in aliis etiam Orientis civitatibus inde agi, ut in Syria, Cypro in insula et apud Coptos, qui iugiter affirabant ipsum ab Apostolis originem duxisse. Vere - ut ait Augustinus - « quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum certissime creditur ».

Sed nec pompa, quae hac die duci solet, origo ad *Lupercalia* referri potest; in iis quippe sollemnibus cives faces accensas manu haud gerezant; ¹ potius, contra, in mentem revocanda erunt *Ambarvalia*, ² quum a populo cerei accensi manibus praeferrantur, et urbes sacerdotes et addicti

¹ *Lupercalia* fiebant lustrationis causa in spelunca sub monte Palatino, quae Lupercal dicta est. Ritus hic fuit. Capram pastores, quorum Pan tunc praecipuum numen erat, immolabant; deinde variis iudis, reiectis vestibus, sese exercebant. Temporis progressu pro capra hircus immolari coepit. Sacerdotes autem, qui Luperci appellabantur, peracto sacrificio, faciem sibi larva tegebant, vel potius sanguine foedabant, et sine ulla ueste, sed tantum cincti pellibus victimarum caesarum - (ideoque ab Ovidio, *Fast.*, 101, *cinctuti appellantur*) - discurrebant per urbem veterem, id est Palatium. Adolescentes accurrebant cum lana lacte madida, qui tabum abstergerent. Institutum etiam aliquando fuit, ut hirci pelle in lora secarent et haec in cursu illo manibus gestarent, et obvias quasque foeminas iisdem caederent (cfr. OVID., *Fast.*, 2; IUVENAL., II, 142; PLUTARCH. in *Caes.*, c. 61).

² *Ambarvalia* quotannis fiebant ad agros suovetaurilibus lustrandos. Huiusmodi hostiae ter circum novas fruges perferebantur, unde *ambarvalis* et *lustrationis* nomina (CAIET. MARINUS).

circumirent. Huic quidem sententiae accessere Hugo, Menardus Rocca, Sassi alii que, pompa huius originem longe ante Sergium Pontificem, cui ipsa tribuitur, vindicantes. Ceterum hoc asserentes minime ausi sunt negare ab eodem pontifice pompa ritum et ordinem fuisse institutum; certum est enim ipsum auctoritate sua mandasse, ut singulis huiusmodi festis ex ecclesia S. Hadriani ad forum Romanum cleris discederet, et ducta pompa, iuxta ordinem, basilicam Sanctae Mariae Maioris in Esquiliis peteret. Confirmat *Liber Pontificalis*: « Constituit autem ut diebus Annuntiationis, Nativitatis et Dormitionis Sanctae Dei Genitricis semperque Virginis Mariae, ac sancti Simeonis, quod *hypapante* Graeci appellant, litanie exeat a S. Hadriano, et ad S. Mariam populus accurrat ».

Confirmat quoque Baronius, ex Beda deducens, pompa usum « cum laetis hymnorum vocibus et canticorum, et cum cereis benedictis iisque accensis et a fidelibus manibus gestis » in praecipuis Beatae Mariae Virginis festis communem fuisse, « ad devotam populorum consolationem erga Deiparam, lumen, lucem atque facem inter tenebrosas huius orbis caligines ».

Piazza denique (*Hemerolog. sacr.*, d. II mens. Februarii) cereorum usu in pompa huius festi plura mysteria significari docet: « Quemadmodum - ait - apis ceram et mel conficit munditie exquisita, sine ulla sua corruptione, ita Maria Virgo sine ulla puritatis suae macula peperit Iesum Christum Deum et Hominem. Et quia cera collustrans tenebris inservit, Deiparae patrocinium quasi mysticum lumen indicatur ad tenebrosas extremas hominis horas illuminandas... Sed haec pompa cereis manu gestis producta, Iesum hominem factum quoque revelat: per ceram scilicet (ut asserit Amalaricus) eius beatissimam carnem; per gossypium eius animam, per lumen gloriosam divinitatem. Itaque cereos

accensos gestantes figurate Iesum Christum gestamus, non unius huius figurati luminis gaudia appetentes, verum ut possimus, beatifica Christi visione, ipso frui, qui splendor est aeternae gloriae».

* *

AESTHETICAE NOTAE

Quid Plato, Aristoteles, Augustinus, Thomas de pulchro senserint.

Pulchri disciplina, sive aesthetica, proti vulgo dicitur, scientia, si cum ceteris philosophiae partibus eam comparaveris, recens quidem est. Quamvis enim a remota antiquitate initium sumpserit, sero tamen doctrinam suam sive in ipsis artis operibus, sive in poëtice, rhetorices, musices, etc., tractatibus velut membratim delitescentem, ad unum corpus redegit, ac disciplinae dignitatem obtinuit. Testis est historia.

Quum vero apud omnes populos aliquanto exultos pulchri notiones vigerint, et artes, quas humaniores vocamus, sua monumenta reliquerint, nil mirum si et antiquitus de pulchro et artibus philosophari coeptum est. Atqui sententiam nonnullorum philosophorum hodie h̄c recolere voluimus.

Et primum Platonis, qui in dialogo, cui titulus *Hippias Maior*, aperte quid sit ipsum pulchrum quaestionem ponit. Quamquam nullam veram solutionem profert. Enumerat namque simulque refutat, quamplurimas falsas pulchri definitiones; dari pulchra obiecta fatetur; asserit pulchrum esse aliquid per se, nempe a quavis alia « entis » proprietate distinctum; sed, ad summam, per Socratem disputationi his verbis finem facit: « Tantum, Hippia, con-

suetudine utrorumque vestrum profeci, ut proverbium illud, quod pulchra difficultia esse dicit mihi videar ».

In aliis vero dialogis apertius suam exponit mentem; praesertim in *Gorgia*, in *Philebo*, in *Phaedro*, in *Convivio*.

Ita saepe saepius adfirmat dari « perfectam correlationem et quasi identitatem » inter pulchrum, verum, bonum et iustum. Requirit in pulchro mensuram et proportionem (*μετριότης καὶ συμμετρία*); simulque formae claritatem annuens, fatetur pulchritudinem unam hanc nactam esse sortem, quippe quae « dilucidissima » sit et « amabilissima ». ¹ Afferit praeterea effectum pulchri esse puram delectationem (*ἡδονὴ καθαρὰ*); docetque obiecta pulchra, semper pulchra, per se, suapte natura esse, et voluptates proprias habere.²

* *

Accuratus Aristoteles pulchri mentionem facit. Enumerat namque pulchri elementa: « Proprium pulchri videtur – ait – maximus ordo, symmetria et ornatus ». ³ Pulchrum autem a quavis alia proprietate distinguit, praesertim a bono; scribit enim: « Pulchrum igitur est, quod quum sit propter seipsum optabile, est dignum laude; aut id, quod, quum sit bonum, placet quia bonum est ». ⁴ Docet nempe pulchri effectum esse desiderium et delectationem.

¹ Κάλλος μόνον ταύτην ἔσχε μοῖραν, ὥστ' ἐκφαινέστατον εἶναι καὶ ἑρασμώτατον (Ex *Phaedro*).

² Ταῦτα γὰρ οὐκ εἶναι πρός τι καλὰ λέγω, κάθατερ ἀλλα, ἀλλ' αἱ καλὰ καθ' αὐτὰ πεφυκέναι καὶ τινὰς ἡδονὰς οἰκίας ἔχειν (ex *Philebo*, § XXXI). In *Convivio* autem de absoluta et incommutabili Dei pulchritudine altissime loquitur.

³ Τοῦ δὲ καλοῦ μέγιστα εἴδη τάξις καὶ συμμετρία καὶ τὸ ὠρισμένον. (Reth., I, 9). In *Poët.* (c. VII) docet pulchrum adesse in magnitudine et ordine (ἐν μεγέθει καὶ τάξει).

⁴ Καλὸν μὲν οὖν ἔστιν, ὅ. ἂν δι' αὐτὸν αἰρετὸν οὐ, ἐπαινετὸν ἢ οὐ ἀν ἀγαθὸν οὐ, ἡδὺν ἢ ὅτι ἀγαθόν (Metaph., XI, 3).

* *

At fusius et proprius de pulchri natura ac proprietatibus loquitur apud Christianos Augustinus. Affirmat enim unitatem cum pulchro convenire; eam tamen unitatem, quae non excludit compositionem; imo quae exigit partium consonantiam: « In omnibus artibus convenientia placet, qua una salva et pulchra sunt omnia: ipsa vero convenientia aequalitatem unitatemque appetit, vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium ». ¹

Simul cum unitate ac partium consonantia « integratatem » commemorat: « Tanta est vis et potentia integratatis et unitatis, ut etiam quae multa sunt bona tunc placeant, quum in universum aliquid convenienti atque concurrunt ». ²

Sententiae Ciceronis de corporis pulchritudine assentiens, censem « claritatem » ad pulchrum spectare. « Quid est – inquit – corporis pulchritudo? Congruentia partium cum quadam coloris suavitate ». ³ Et « claritati » certe alludit, quae, fulgens in rebus, fit menti praesens, quum scribit: « Summa aequalitate delector, quam non oculis corporis, sed mentis contueor ». ⁴

Pulchrum ab aliis « entis » proprietatibus, praesertim a bono, secernit, et docet cum Aristotele pulchrum propter seipsum esse optabile: « Pulchrum per se ipsum consideratur atque laudatur ». ⁵

Denique asserit animi delectationem non ipsum pulchrum esse, sed pulchri naturalem effectum: « Si prius quaeram – (scilicet ab artifice) – utrum ideo pulchra sint quia delectant, an ideo delectant quia pulchra sint; h̄c mihi sine dubitatione re-

¹ De *Vera Relig.*, c. XXXII, n. 19.

² Sum. *Theol.* I-II, q. 27, a. 1 ad 3.

³ Ibidem, p. I, q. 39, a. 8 c.

⁴ Ibidem, p. I, q. 5, a. 4 ad 1.

⁵ Comm. in lib. S. DIONYS. *De Divinis Nominibus*,

in ephemerede *Scienza e Fede*, mense Martio MDCCCLXIX, p. 393.

⁶ Ibidem, p. 399.

⁷ Sum. *Theol.*, p. I, q. 5, a. 4, ad I.

spondebitur, ideo delectare quia pulchra sunt ». ¹

* *

Sanctus Thomas, qui antiquorum sententias perpendit, docet pulchrum cum bono cohaerere, in bono constitui, a bono tamen differre: « Pulchrum est idem bono, sola ratione differens ... Pulchrum addit supra bonum quemdam ordinem ad vim cognoscitivam; ita ut bonum dicatur id, quod simpliciter complacet appetitui, pulchrum autem dicatur id, cuius ipsa apprehensio placet ». ²

Tria pulchri elementa recenset: « Ad pulchritudinem tria requiruntur. Primo quidem integritas sive perfectio. Quae enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt. Et debita proportio sive consonantia. Et iterum claritas. Unde quae habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur ». ³

Tradit insuper pulchrum habere rationem causae formalis: « Pulchrum propriæ pertinet ad rationem causæ formalis »; ⁴ rationem autem essentialiæ pulchri in claritate formæ supra quaedam proportionata inesse: « Ratio pulchri in universalis consistit, in resplendentia formæ supra diversas vires et actiones... » ⁵ Ad pulchritudinis rationem concurrit consonantia sicut subiectum, et claritas sicut essentia eius ». ⁶

Denique effectum proprium pulchri adstruit esse delectationem: « Pulchra dicuntur quae visu placent ». ⁷

Pauca haec, quae delegimus testimonia satis aperte manifestant, quid de pulchro senserint amplissimi illi philosophi, quos

posteritas merito venerata est. Haereditatem maiorum qui contemnunt, novaque omnia ex suo ingenio configunt, rem inconsultam quidem agunt, eamdemque periculorum plenam.

G. LEPORE.

MARCUS NASSÒ.

Est apud Augustam Taurinorum ad orientalem plagam, vallis quaedam omnibus naturae deliciis affluens, quae merito a *Salice* appellatur. Hic Salesianorum familia, apud Patris Legiteri sepulcrum, iam inde a multis annis Collegium, ephesis qui in sacris expeditionibus versentur populis ad pietatem colendis, aperuit, quod studiis florens ac virtutibus, doctorum quoque nomine inclarescit.

Omnium dux enituit atque ornamen-
tum MARCUS NASSÒ, sacerdos, domo Bru-
sca, apud Cuneum.

Puer admodum prima litterarum funda-
menta posuit apud immortalem magis-
trum meum, Ioannem Bosco, sub cuius
consilio ac disciplina virtutibus percrebuit
litterisque. Pietate et fortitudine insignis,
in matheseos studium se contulit, et lau-
rea iure praeditus, ita coepit exsplende-
scere, ut hoc nomine, ob ingenii et doctrinae
praestantium, huius Collegii praeses, flo-
renti adhuc aetate, adprobantibus omni-
bus, adscisceretur. Et subito certus rebus
nostris servire, non sibi, qualem prae-
stare se instituerat, talem usque ad exi-
tum servavit. Quot autem decreta mira ac
perpetua foecunditate apud nos ad scholas
moderandas eduntur, in improbum docto-
rum labore, ipse unus mirum in modum
retinebat, et quoad eius fieri poterat, data
occasione, in actum revocabat.

In omnibus singulari fuit industria, na-
vus, laboris adeo patiens, ut vel in adversa
valetudine plurimas horas rebus gerendis

continuaret. Idem pius, benignus, recti-
tenax, officiosus, vitaeque pariter actae,
hoc etiam documentum dedit, quod ex-
tremo morbo correptus, adventantem mortem
adspiciens, in sodalium suorum com-
plexu hilaris decessit, quinquagesimum
quintum annum vix attingens.

Mitissimo ingenio, parentem Ioannem
Bosco consilio et lenitate retulit.

Ave, carissime sodalis. Et Deus, tons
sapientiae, animam tuam candidissimam
in aeternam beatitatem recipiat.

I. B. FRANCESIA.

MAGELLANUS

Americus Vespucci, Ioannes ac Seba-
stianus Caboto, Alvarez Cabral, Grilva,
Ferdinandus Cortez, Franciscus Pizzarro,
Didacus Almagro atque Magellanus stren-
nui nautae fuere, qui, Christophori Co-
lumbi exemplum imitati, ad novas orbis
regiones investigandas mentem viresque
suas intenderunt; quorum postremus ter-
rarum ambitum primum circumcursavit.
De eo peculiarem mentionem facere his
praesertim diebus iuvat, quem infausti
itineris illius quartus centenarius annus
expletur.

Ferdinandus de Magellano, sive, lusi-
tano sermone suo, Magellhaens aut Magal-
haens, circa annum MCCCCLXX ortum duxit.
Navigationis artem amplexus, in Indias
sub Alburquerque illo, qui Lusitanorum
nomen illic immortale reddidit, peragravit;
verum an. MDXIX, ob iniuriam passam,
Olisipponensis aulae pertaesus, in qua
Emmanuel cognomine Magnus regnum
exercebat, ad Hispanos se vertit, suaque
officia Carolo V, qui libenter accepit, obtulit,
ut imperium ad Molucas insulas extenderet,
a Lusitanis iam novem ante annis,
Francisco Serano duce, visitatas.

Carolus navarchum Magellanum crea-
vit classis quinque navibus constantis,
militibusque ducentis tri-
ginta septem multoque
commeatu instructae, quae
Hispalis e portu ancoralia
praecedit die xx mensis Se-
ptembris eiusdem anni.

Post dies sex ad Tene-
riffa ventum erat, dieque
trigesima caput, quod Vi-
ride nuncupatur, Magella-
nus transgressus est, ubi
caelestia quaedam, ex ae-
theris electrica virtute ge-
nita, tantum terrorem inter
remiges diffuderunt, ut de
interficiendo duce sermo
primum fuerit, ac deinde
coniuratio; cuius principes
in portu, ad quem primum
deinde appulerunt, quemque
a sancto Iuliano nuncu-
parunt, gravissima poena
is affecit: Aloisium enim
Mendoza Gasparemque Ce-
sado morte multavit, Ioan-
nen autem Cartagena illic
in incolarum potestate, hu-
manis corporibus vescen-
tium, dereliquit.

At paulo post nova ex-
orta est seditio, militumque
pars, Magellani nepote in
captivitatem adducto, ad
Hispaniam recessit.

Ducis vero animus mi-
nime inde est fractus. In
incopto fidenter pergens,
Magellanus inferioris Ame-
ricae litus praetervexit, Pa-
tagoniam vidit, quam ex
pluribus vulcanis «ignis terram» appelle-
avit; fretum, quod eius nomen retinuit,
cuiusque notitiam dicitur accepisse a charta
quadam Martini Bohemici, transmeavit;

Magnum Oceanum ingressus est, quod
Pacificum ea causa dixit, quia, si fame labo-

Bicyclus.

*Sed neque iam tenuis, zephyrisque simillima, nostrum
Incola tectorum dulcis hirundo volans,
Aerea nec navis nullo conamine summos
Exsuperans montes, aequora transiliens,
Temporibus spernit nostris bona praemia laudis,
Nam portenta levis rite bicyclus agit.
Obliquo transire viam si tramite quaero
Ecce mihi birotæ pulverulentus eques
Obvius; at dextra cursum deflectit, ad unguem,
Ne mea contactu laedere membra queat.
En aliis retro mira venit arte bicyclus
Ad laevam et magna cum levitate ruit.
Non currus timuit, quos spirans naribus ignem
Traxit equus; felix inter utrosque fugit
Longius, ac inter carros, quos transvehâ praeceps
Exagitata movet, ludere pergit ovans.
De cursu interea cum illa certare videtur
Et iam campano tinnitat aere prior.
Ast aliud magis insolitum, multoque periclitis
Expositum, nobis obicitur pavidis,
Insidens birotæ puerum inter brachia tollit,
In mortem velox irruit, immo volat.
Sic causam timidus deiecta mentem putabam,
Sed contra praeceps ille “Triumphus, canit.
Quid? Reboot tonitru, glauci virtute bicyclus
Alchœli motus; devorat ecce viam.
Confusis nimium robustis viribus ultro
Dux binos socios suscipit. Arte nova
In primis audax! Credunt, oh! terque quaterque
Felices illi tollere in astra caput,
Perque vias, vicos, populosaque compita circum
Omnes mirantur. Femina muta videt
Et timida assurgit. Pueri, iuvenesque, puellæ
Certatum plaudunt, currere præcipites
Intentant si fas audentem attingere. Marte
Sed birota a nullo vincitur impavida.*

P. SPINA, S. I.

ravit, procellam nullam in eo perpessus
est; atque ad Sinas tendens anno MDXX,
mille insulas illas invenit, quibus a Phi-
lippo II rege, quum anno MDLXIV Hispani

eas obtinuerunt, Philippinarum titulus est impositus.

Illic, in insula Zebut, Magellanus aliquando constituit, multis honoribus donis que ab indigenis acceptus, quorum octingentos, et ipsum regem ad christianam religionem adduxit, et in clientelam Hispanici regni.

Viribus ex labore refectis, Magellanus ulterius, in Mathan insulam, processit. Mala vero fortuna: rex enim insulae illius, externis hominibus infensissimus, per auxilii speciem in adversarium quemdam vicinae cuiusdam insulae, imperium sibi contendente, eum cum nautis sexaginta in insidias inducitum proditorie trucidavit.

Hic miser Magellani interitus. Eo ita e vivis eretto, ceteri duces de reditu cogitarunt, et ad Zebut insulam reversi sunt, sperantes fore ut is qui navarcho sibique tantum amicum sese praestitisset, idem esset ad redditum ipsum comparandum. Barbarus vero rex quum ad commeatus convivium eos invitasset, per mensam perfide a servis peti iussit.

Qui novam hanc stragem effugere valuerunt, naves quum concendissent, vela dederunt, quumque bellicis tormentis regiam Zebutianam domum solo aequassent, alto sese commiserunt Molucas insulas quaerentes, ad quas reapse appulerunt die VIII Novembris MDXXI. Iter hoc in unica superstite navi perfectum est duce Sebastiano de Cano, qui per Bonae Spei caput in Europam tandem remeavit, atque mense Septembri insequentis anni sancti Lucae de Barrameda portum intravit.

Ex Magellani comitibus vix duodevinti sic in patriam redierunt!

X.

Tanto quisque perfectior est, quanto perfectius sentit dolores alienos.

S. GREGORIUS, Mor., VII, 19.

COMMUNIA VITAE

De valetudine percontatio Morbi - Medicamenta.¹

Medicamenta praecipua, alphabetico ordine digesta:

Aconitum - Agaricum - Aloe - Antidotum (Antipharmacum, Alexipharmacum, Alexeterium, Alexiterium) - Alvi ductio - Anastomaticum medicamentum² - Medicamentum anodynum.³ - Aromata - Acopa.⁴ - Balanus.⁵ Collyrium - Candentis ferri adustio - Caphura (Camphura) - Cinnamomum - Casia (Cassia)⁶ - Ceratum (Cerotum) - Coriandum - Cordi salutare.⁷ - Cephalicum.⁸ Cataplasma.⁹ - Commansum. (Apophlegmatismus).¹⁰ - Cholagogum (Cholagium).¹¹ - Catapotium (Pilula). - Clyster (Cluster, Clysterium, Clyisma, Levamen). - Cucurbita (Cucurbitula).¹² - Crocus. Decocta (Aphepsemata). - Dropax.¹³ - Diaetetica.¹⁴ - Diuretica.

¹ Cfr. fasc. sup.

² Anastomatica medicamenta vulgo «aperientia» dicuntur, et sunt quae vasorum oscula aperire valent, extergendo, incidendo aut obstructions tollendo.

³ Dolorem levans, somnum arcessens.

⁴ Medicamenta lassitudinem levantia; unguenta evaporantia (CELS.).

⁵ Unguentaria glans, suppositorium (Italice *supposta*).

⁶ Frutex corticis odorati lignea dicta, unde electissimum cinnamomum; ad differentiam, *Fistularis*, catharticae dictae Aegyptiae siliquae (Italice: *Cassia in canna*).

⁷ Italice: *Cordiale*.

⁸ Remedium quodvis capiti medens.

⁹ Unde *cataplasmare*, emplastro linire (LEX. MED.).

¹⁰ Potius quam remedium, instrumentum est ad mandendum. Itaque nuncupatur quoque *Masticatorium* (Italice: *Masticatorio, masticatoio*).

¹¹ Medicamentum bilem educens.

¹² Vasculum, cucurbitae fructus simile, ad sanguinem eliciendum (Italice: *Ventosa*).

¹³ Pharmacum depilatorium.

¹⁴ Diaetetica medicina est, quae victu medetur.

Enthema (Enoma).¹ - Emplastum (Emplastrum).² - Eclegma (Ecigma, Eligma, Eclictum, Lambitivum). - Escharoticum.³ - Extorsorium.⁴ - Erugatorium.⁵ - Errhenum.⁶ - Electuarium (Electarium).⁷

Frictiones.

Gongylia (Pastilli).⁸

Hypnotica (Soporifera). - Hydragoga.⁹

- Hydromelum (Hydromeli).¹⁰

Iulapium.¹¹ - Infusio (Apobregma).¹²

Lignum Guaiacum (Indicum, Sanctum).¹³

- Linamentum (Leniscus, Turunda).¹⁴

Medicata potio. - Malagmata¹⁵ - Mel rosaceum (Rhodomel, Rhodinum). - Melicrāton.¹⁶ - Manna. - Mirobalānum.¹⁷

¹ Emplastrum ad sanguinem sistendum et inflammaciones.

² Notum medicamen, quod ex diversis liquidis, fruticibus, etc. formatur. Quod si ex liquidis *hygremplastrum* proprius dicitur; si ad molliendum adhibetur, *malagma*.

³ Medicamentum caustificum, crustiferum.

⁴ Medicamentum purgans, *catharticum* quoque dictum, a *catharus*, purus, mundus. Inde etiam *catharsis*, purgatio.

⁵ Medicina et etiam instrumentum ad rugas aufendas et cutem extendendam.

⁶ Medicamentum, quod naribus impositum caput purgat.

⁷ Medicamentum ex electis rebus conditum.

⁸ Italice *Pastiglie, Pasticche*, quibus varia, vel ex substantiis unde conficiuntur, vel ex nomine auctoris, etc. attributa indicuntur. Quamquam *Pastilli* vocantur, quoque cataplasma et emplastra, forma orbicularia.

⁹ Medicamenta et etiam instrumenta (quasi «aqua-gia») aquam inter cutem eduentia utriculariis et hydropibus (LEX. MED.).

¹⁰ Aqua mulsa, seu mellata; potionis genus a malis cotoneis.

¹¹ Vulgo: *Giulebbe, Iuleb*.

¹² *Apobregma* = Aqua dilutum.

¹³ Italice: *Legno quassio*.

¹⁴ Penicillus ex linteo decerptus, vulneri-applicandus. Italice: *Tasta*.

¹⁵ Plurali numero, fomenta indicantur ex floribus eorumque surculis: medicamenta emollientia fornicantes partes praeter naturam induratas (LEX. MED.).

¹⁶ Potionis genus ex aqua et melle.

¹⁷ Gians unguentaria Aegyptia; vulgo *Noce di India*.

Nux condita (Myristica, seu odorata; Aromatica, Moschata¹). - Nux vomica. - Narcoticum.

Opium (Meconium).² - Obstipans (Obstruens) medicamentum. - Oxymel (Acetum mulsum). - Oxsaccharum.³ - Opobalsamum. - Oleum. - Oleum medicamentarium (factitium, balsamicum). - Oleum ocimum,⁴ cedaraleum, cupressinum, melinum, irinum,⁵ ricinum, amygdalinum,⁶ myrtaeum, melatum (elexomeli), carycium, ichthielaeum,⁷ rhodinum (rosaceum), nardinum, terebinthinum, violaceum, crocinum, stillatitum. - Olei flos. - Omphacium.⁸

Prophylactica.⁹ - Pyctacium.¹⁰

Rhabarbarum (Rheubarbarum). - Rhodosaccharum.¹¹

Splenium.¹² - Salsa parilla (Sparta parilla).¹³ - Syrupus (Syrupum).¹⁴ - Suffitus (Suffimentum, Suffitio, Suffimen).¹⁵

Tetrapharmacum.¹⁶

¹ A moscho, ob odoris praestantium. Dicitur etiam *nux muscata* et *moschocarium*.

² A mecon, papaver, *meconium* dicitur succus papaveris, opium.

³ Potio ex aceto et saccharo.

⁴ Ex ocimo; Italice *basilico*.

⁵ Ex lilio violaceo, vulgo: *Iris*.

⁶ Si ex amygdalis amarulentis *metopium* dicitur.

⁷ Ex piscibus extractum.

⁸ Potio ex fructibus acerbis.

⁹ Remedia quaevis praeservativa, hoc est ad morbi causas adimendas et arcendas.

¹⁰ Frustum ad vulnera cooperienda.

¹¹ Saccharum rosatum.

¹² Panniculus medicamentis, vel minus, perfusum stigmatibus imponendus. Item emplastrum longum fronti, contra dolorem capitis.

¹³ Italice: *Salsapariglia*.

¹⁴ Syrupus est: *Succum qui trahit*. Hinc dicitur medicamentum cum melle, saccharo aliisque coctum. Hinc *syrrupus rosaceus, violaceus*, etc.

¹⁵ Odoramentum rerum variis generis ex combustionē excitatum, ad purificandum aer; Italice: *Sulfumiglio*.

¹⁶ Emplastrum, quod iuxta LEX. MED. constabat cera, adipem, resina et pice.

Unguentum (Magma, Unguen). - Unguentum psilothrum (depilatorium), rosaceum (rhodinum), elatinum,¹ liliaceum, amaricinum, nardinum, narcissinum, violaceum (ianthinum).

Xerium (Xerion, Catapasma).²

Cessit morbus remediis. - Vis morbi medicamentis levata est. - Concessit dolor medicamentis. - Per has medicinas a morbo sum recreatus (convalui; sanitatem recepi; sanitatem recuperavi). - Morbus (virium imbecillitas) depulsus (depulsa) est. - Curatione adhibita, quae par erat, sum tandem sanatus.

FORFEX.

¹ Ex *Eläta*, palmae tenello germine (*dattero*).

² Medicamentum ex sicco pulvere insperso.

PRO IUNIORIBUS

Populus vana quadam spe persaepe deceptus, suam ipsius ruinam atque interitum appetit.¹

Huius simile et illud est exemplum M. Centenii Penulae Centurionis, qui, quum Annibal, decem iam annos bellum in Italia gerens, tot Romanorum strages edidisset, in Senatum venit atque a patribus petuit, ut sibi quinque militum millia darentur: se peritum et hostis et regiunum, brevi tempore operae pretium factrum; et quibus artibus Romani duces et exercitus ab Annibale capti et caepti essent, iisdem se adversus eum, qui illas invenisset, usurum. Quod etsi stolidae ab eo promitti senatus intelligeret, metuebat tamen ne, si hoc illi fuisse denegatum,

¹ Cfr. num. sup.

populus infensus sibi redderetur: satius ergo esse periculo committere illos, qui eum vel sponte sequerentur, quam ut novarum dissensionum inter plebem et Senatum causam paeberent. Itaque pro quinque octo millia concessit, quibus ex agris accesserunt et alii voluntarii. Collecto ergo illo exercitu, qui magna ex parte tumultuarius ac semermis erat, M. Centennius Annibalem sequutus est, eumque statim adortus, proelium commisit, et cum omnibus suis interiit.

Apud Athenienses Nicias, vir gravissimus ac prudentissimus, dissuadere populo non potuit, quin Siciliam invaderent; itaque suscepta est illa contra sapientum virorum consilia expeditio, quae simul Athenensium interitus causa fuit.

Scipio quoque quum Africam consi sibi designari a patribus peteret, Carthaginemque deleturum se esse promitteret, nec ei Senatus, Fabii Maximi sententia permotus, vellet assentiri, minatus est se id populo propositurum, quem sciebat huiusmodi magnis ausis gavisurum.

Possimus etiam exempla adducere ex Florentinorum urbe in eamdem sententiam. Cuiusmodi illud est Herculis Bentivoli, qui quum esset Florentinorum exercitus imperator et ab Antonio Iacomino adiutus Bartholomaeum Alvianum ad S. Vincentium superasset, militi fidem fecit Pisas quoque se occupaturum, ad eiusque obsidionem se accinxit, contra quam multi sapientes cives obstarent: populus enim magnis illius promissionibus deceptus, impediri non potuit quin illi assentiret.

Atque hinc facile videmus, eam unicam esse ac facilem viam augendae reipublicae si quis populum eius, qui liber sit et aliquius virtutis, in re militari perpetuo exerceat; facile enim parebit quum illi aliqua gloriae et utilitatis spes proposita fuerit, nec contrarium suadenti obtemperabit. Quod si in huiusmodi rebus gerendis for-

tuna aduersetur, ut reipublicae ruina sequatur, tum vel imprimis periclitantur illi, qui auctores huiusmodi expeditionum, aut duces militares fuerunt: neque enim tunc quum res male processit, in fortunae adversitatem causa refertur, sed in imperatorum ignorantiam malitiamque: quo fit, ut eos, ut plurimum, vel in vincula coniiciant, vel necent, vel in exilium expellant: quod multis Carthaginiensium ducibus accidisse videmus. Nec solet in huiusmodi casibus ratio haberi earum rerum, quae prius bene paeclareque gestae, gratiam meruisse videntur. Sicuti Antonio Iacomino factum est, qui, quum, ut se facturum persuaserat populo, Pisas expugnare nequivisset, in tantum populi odium incidit, ut non suis meritis prioribus, sed gratia quorumdam, qui pro illo intercesserunt, vitam conservare potuerit.

H. B.

ANNALES

Parisiense concilium de pace.

Commentariis pacis foederi additis, quibus *protocollo* vulgo nomen, Germani die x mensis Ianuarii subscripserunt; quo ritu belli status cum Germanis quoque peremptus est. Restant Hungari, qui contra foederis pactiones animadversiones interposuerent, quarum nulla est adhuc ratio habita; atque restat identidem Hadriaci maris quaestio. Quae ut tandem dirimeretur, ipse administratorum Italicorum praeses, Xaverius Nitti, Londinum et Lutetiam Parisiorum adivit, proposita ad concordiam adducentia allaturus. Quibus quum Iugoslavonii obsisterent, factum est ut Anglia simul et Gallia his biceps hoc argumentum praebuerint: aut eiusmodi propositionibus cedere, aut Londinense pactum cum Italia initum anno MCMXV, de quo

alias loquuti sumus, expletum videre. Sed cunctantur illi, nec quid demum decretruri sint, satis ostendunt. Auxilium ne a Wilsono, qui eorum patronus pluribus visus est, exspectant? ...

Interim concilium supremum Parisiense pro tempore est dimissum; non prius vero quam Nationum Societati initium re faceret, - (sane prima eius sessio habita est die xvi mens. Ianuarii) - atque Germanici Caesaris a Batavico gubernio «extraditionem» requireret; quae ex iure hospitii negata est. Singularum nationum communes legati nunc Lutetiae Parisiorum inter se conveniunt, ut Versaliensis foederis executionem invigilent.

Quum autem supremum concilium iterum coiverit, praesidem novum sibi eligit pro Clemenceau illo, qui ad summam reipublicae candidatus, quum eius loco Paulus Eugenius Dechanal fuerit electus, a civilibus muneribus se abdicavit. Et administratorum ideo novum suffectum est in Gallia collegium, cui Millerand praepositus est.

* *

Russorum civile bellum.

Quamquam Russicis nuntiis parva fides est tribuenda, indubium tamen videtur, Bolcevicos peculiares recens successus reportasse. In Siberia enim Koltciak, supremi Russicarum copiarum ducis, disiectae sunt acies; quinimo dictarunt ipsum virum captivum factum. Denikinus pariter, alterius exercitus summus praefectus, est fusus et fugatus, viam hostibus relinquens ad Azoff mare. At dum praeterea induciae Bolcevicos inter atque Aestones nunciantur, Lettones feruntur et Poloni illorum munitiones perfregisse.

* *

Varia.

Verum per orbem passim a tranquillitate illa ordinis absumus, in qua gentes

versentur oportet, ut veri progressus viam tandem aliquando resumant. Ubique enim, una vel altera causa, a laboribus per opifices desertiones in dies cum tumultu fiunt. Eas Itali et nos habuimus, praesertim in publicis cursibus; quamquam, ut fata tulerunt, nulla vi nullaque gravi rerum perturbatione.

Kalendis Februariis MCMXX.

POPLOCOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Ad ceteras miserias, quibus mentes nostrae animique agitantur, singularis quidem nec opinatus eventus ille nuperime accessit, qui universum iam orbem commovet. Radiotelegraphicæ stationes scilicet iam inde plures dies **arcana signa** recipiunt, nec unde provenerint quisquam adhuc detegere valuit. Profecto ex longissimo spatio orta sunt, atque praeter terrestrem aetheris oram, quia simul a locis, inter quae magnum distat intervallum, colliguntur, ut Londini et Neoeboraci. Marconius, celebris ille physicus doctor atque telegraphi filis expertis, idest radiotelegraphi, inventor, graviter de re fassus est: « Impossibile fuit ex acceptis signis nuntium aliquem colligere quod sub intelligentiam cadat: notatum vero est, **E** literam ex Morsiano alphabeto fuisse saepius quam signum quodvis aliud iteratam ».

Si igitur ab alio caelesti sidere missa haec signa sunt, inferendumne tandem est et alios mundos habitari? Et eos ab animantibus tanta ratione praeditis, ut Morsianas notas aut similes alias repereint? An Morse spiritus illuc transmigraverit?... Videtis, lectores humanissimi, quorum evadere possit argumentatio, quaeque quaestionum messis inde oriuntur. Eas vero philophorum sapientibus dispu-

tionibus relinquo, ut circumscripto magis in ambitu lucubrationes meas contineam. Et ego enim in certamen descendere sum coactus, ob assiduum dubium quo, veluti aculeo, cerebrum meum vexabatur: « Quid ignoti illi signorum transmissiores per literam **E** tam crebro iactatam significare voluerunt? Quinimo non hic totius rei et opus est labor? ».

**

En igitur, fidelissimis humanisque vobis, qui me singulis mensibus legitis, cogitatorum meorum... effusionem.

Fortasse per eam literam fuit transmissorum illorum evocatio: « Ecquando? ». Nempe: « Quando erit tempus, in quo expedite, enodate, explanate, eloquenter, enucleate, explicate, evidenter, explorare, exquisite electe, expresse, egregie, elate, effuse, examussim, communicare eminus vobiscum nobis liceat? Nunc fere elingues videmur. Nunc arcana signa edolamus. Ne status hic diutius perducatur, etiam atque etiam, enixe vos efflagitamus. Ab hoc enim ergastulo exire eheu! cupimus. Esto! Eho! Euge! Fiat evolutio; tangibiles effectus, epistolæ sequantur! Exscrubite tandem ad nos! Rationes idoneas exputate, exquirite, exserite... **Excelsior!** ».

Sed fortasse monita sive ad rem, sive ad alia quae ad nos spectent, offerre illi nobis per litteram **E** voluere: « Erratis; emendate vos igitur, eruditimi, ediscite ». Fortasse, si aliquod malum ulterius nobis immineat, fraterne suaserint: « Effugite, elabimini, evadite, emigrate ».

Quid si de perditis moribus nostris reprehendere nos amaverint, et ad bonam frugem adducere? « Evigilate; effringite turpia vincula; sordesque lutumque ex animo vestro everrite. Interea erubescite, et... excubias agite ».

Sed ipsis quoque mala tempora currere possunt: excidia, verbi gratia, eluviones, exitium generis sui; ac proinde

de iis queri: « Exanimamur, excruciamur, elugemus, emorimur ». Si autem et apud eos caritas omnium rerum earumque preertia incredibilia debacentur: « Egemus, esurimus, emaciamur, elanguescimus, et... a fisco emungimur ». Quod si illic etiam morbus, cui ab influentia apud nos nomen, furat, tunc **E** illa nihil aliud quam... epiphora valeret.

Ego vero in prosperis rebus omnino versari eos credere malo, ut vere affirmare valeant: « In utramvis aurem edormimus; in omnibus enim nos elucemus, enitemus, emicamus, effulgemus; imo exardescimus, effervescimus. Namque edimus, epulamur, epotamus ultra satietatem; neque ordinarios cibos solum, sed escas, esculenta. Quinimo eo pervenimus, ut quae terrauei orbis fratres vobis negent, ne fame conficiamini, ipsi nos alio ex mundo praebeamus. Emporia enim plurima habemus, eaque fructum merciumque omnis generis plena: apud nos emite. Exportatio amplissima patet,... dummodo rationem aliquam de ea excogitetis. Eia igitur, experimenta agite! Et vobis facile erit persuasum, dum in mediis socialistarum et bolscevicorum factionibus vivite, apud nos animal nullum exlex reperiri ».

Quid denique si ephemeredem quamdam quaequerint? Fateor nescire me quamnam iis proferre auserim. Hanc enim ipsam *Almam Romam* iis minime indi- caverim, ne signum aliud proferrent sub eadem **E** litera; quae tunc proculdubio significaret: « In fatuum huiusmodi vacui temporis horae scriptorem **explodimus**, **exsibilamus!** ».

**

loci.

Ad cauponam.

— Cammarus hic est supplantatus. Quid istud?
— Quos nos adventoribus nostris præbemus, cammari tam recentes sunt, ut vel

dum in cella promptuaria versantur, luctam agant.

— Eia igitur, unum affer, qui victor a certamine evaserit.

Ad aegri cuiusdam lectum

MEDICUS. Cur tum solum me advac- stis, quum aeger intelligentiam omnino amisit?

— Donec enim sui compos exstitit, vetuit omnino ne curae tuae ipsum crederemus.

**

Aenigmata.

I.

Subiacet exposita inclementibus aetheris iris,
Brutorum ac hominum quae solet esse
comes.

Non unus tantum queritur deceptus ab illa;
Purgata ac pressa est; quid tamen ipsa iuvat?
In laribus nunquam est, nigreat vel luceat
aether;

Componit faciem; membra vetusta novat.
Semper cum egressis tecto commercia miscet;

Multum imbres potat; multa vorare solet.
Impuram dicit vitam limoque desertam;

Sed dicit (grates Caelo) aliquando novam.
Opportuna quidem sociis fit sole favente;
Persistit constans in bonitate parum.

Quis pressa certum recipit tutamen ab illa,
Ne cadat, is quamvis sit probus atque pius?

Lubricus est nimium pes, quem natura recepit
Mortalis: plantae semper ad ima fluunt.

II.

Feminei princeps sexus ego glorior esse.
Nomen verte meum; iam valedico tibi.

(Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1] Vena, Verna; 2] Aspis).

IOSFOR.

ROMA SACRA

Ex Pontificia Commissione ad Codicis Iuris Canonici canones authentice interpretandos.¹

Can. 6. — Praescripta decreti S. C. C. diei 30 novembris 1910 « Decorem domus Dei » de chori disciplina in urbe servanda, I-VIII adhuc vigent.

Can. 10. — Vota religiosa simplicia perpetua ex parte voventis, emissae ante promulgationem Codicis in Religionibus votorum sollemnium, sive virorum sive mulierum, sunt moderanda quoad modum dimissionis religiosorum et quoad effectus dimissionis a iure antiquo vigente ante Codicem.

Can. 199, § 1 et 874, § 1. — Parochi, Vicarii parochorum, aliive sacerdotes ad universitatem causarum delegati, non possunt sacerdotibus sive saecularibus sive religiosis delegare iurisdictionem ad confessiones recipiendas, neque iisdem iam approbatis iurisdictionem extendere ultra fines loci vel personarum, intra quos ad normam can. 878, § 1, fuerit circumscripta; verum ad id egent speciali facultate seu mandato Ordinarii loci.

Can. 395, § 1. — Vi huius canonis, Episcopus tenetur pro quotidianis distributionibus, tam in Cathedralibus quam in Collegiatis, tertiam partem fructuum separare, etiam si in dictis ecclesiis distributiones chorales, quamvis tenues, originem repetant ex privilegio apostolico.

Can. 396, § 2. — Optio, de qua in hoc canonе, censetur prohibita etiam ubi viget ex speciali indulto apostolico.

Can. 422, § 2. — Canonici iubilati sunt exempti a servitio altaris pro sua vice praestando, non obstante contraria consuetudine.

Can. 542. — Verba: « qui sectae acatholicae adhaeserunt », non sunt intelligenda de

iis, qui Dei gratia moti ex haeresi vel schismate, in quibus nati sunt, ad Ecclesiam per venerint; sed de iis qui a fide defecerunt et sectae acatholicae adhaeserunt.

Can. 567, § 1 et 578, n. 1. — Novitii et professi a votis temporaneis, si morte præveniantur, ad eadem ac professi a votis sollemnibus, aut professi a votis simplicibus perpetuis suffragia ius habent, etiamsi aliter ferant constitutiones antea approbatae a S. Sede; hac tamen mente, ut Ordines et Congregationes religiosae possint congrua eademque suffragia pro omnibus novitiis, ad tempus professis et professis a votis sollemnibus aut professis a votis simplicibus perpetuis, praescribere in suis constitutionibus emendandis, et pro approbatione exhibendis ad S. C. Religiosorum, ad normam eiusdem S. C. decretum diei 26 Iunii 1918.

Can. 569, § 1. — Constitutiones ante promulgationem Codicis approbatae servandae sunt sive novitiis adimant ius disponendi de usu et usufructu suorum bonorum, sive hoc ius limitent, seu praefinant.

Can. 621, § 1. — Canon hic intelligendus est tantum de religiosis mendicantibus stricto sensu dictis, non quidem de illis etiam, quia latiori sensu tales appellantur, uti ex. gr. Fratres Ordinis Praedicatorum. Quod autem attinet ad licentiam a dictis mendicantibus obtinendam ab Ordinario si velint stipem petere in dioecesi pro aedificatione, ornatu, etc. suarum ecclesiarum, provisum est in ipso canonе 621, § 1.

Can. 756 et 98. — Qui ad preces parentum, contra praescriptum huius canonis, a ritus alieni ministro baptizati sunt, non pertinent ad ritum in quo sunt baptizati, sed ad ritum in quo, iuxta praescriptum ipsius canonis 756, baptizari debuissent.

Can. 822, § 4. — Facultas celebrandi Missam in domo privata est ab Ordinario, ad normam huius canonis, interpretanda restriutive.

(Sequitur).

¹ Cfr. Acta Apostolicae Sedis, 1 Decembr. 1919.

CORALIUM

Carmen FRANCISCI TRANQUILLINI MOLTEDO.¹

Intumuere tori, fumat sudore caterva,
Itque reditque, rotas fremitumque ex ordine

[iungens.]
Retia quum subito ductor speculatus ab alto
Inclamans dextras cohibet: iuxtaque natantes

Vix costis haesere trabes, nisique pependit
Cymba, sudes aptare monet curvosque tri-

[dentes.]
Fervens tum vero nautis simul emicat ardor:
Retia congressi summo certamine cuncti

Involvunt, mediaque rati resoluta reclinant.
Tot maris oblitos ulti et discrimina ludi,

Multiplici quod praedae fenus inhaesit hiatu,
Adspectare iuvat. Promptum est praediscere

[visu] Cortice quos molli celent arbusta colores:
Qui croceus, qui sit pallens, propiorve ru-

[benti.] Quique rosae simulet speciem, cerasiae ni-

[tentis.] Verum prodigium ferme, color optimus ille,
Si qua manus veluti iucundo molliter ostro

Fucat ebur, vel dulce micans vix subrubet
[infans.]

Ante pudor violet quam lactea conscius ora.²
Hinc numeros nautae faciunt et nomina: soli

Ductori ius assidue digesta tueri.
Mox, ubi collectae vires, de more iuventus

Vela facit, fidensque alio traducere gestit
Cymbas: hinc laudes, illinc arrecta cupido,

Quod prima annuerit factis fortuna periclis,
Sollicitant firmantque viros. Iam ligna per

[aequor]

¹ Cfr. fasc. sup.

² Quae hic digessimus coraliorum genera, ita vulgo nominatur: *Giallo, Morticchio, Rosso scarlatto, Cerasuolo, Carneo*, vel *Pelle d'Angelo*. Hoc omnium nunc probatissimum, cuius uncia Argen. it. CCLV venit. Reliqua omnis, quae omnia ad XVII genera recensentur.

Dant iterum, pronique iterum subvolvere fu-
[nes]

Orbe plicant replicantque vias: color ardet in
[ore]

Brachia et adductis livent et tempora nervis.
Nauticus insequitur clamor, laxantque tra-

[huntes.] Pone trabes, si forte rates nec plura legentes
Passa via, aut scopulos ductor sit nactus aper-

[tos.] Obliquant tentantque, vadis, iter omne, ne-

[gatis.] Viribus innixi summis, pax nulla quiesque;
Et divos, quorum referunt cognomina pupes,

Voce vocant humili, trepidique in vota fati-
[gant.]

O quoties, quum saepe ratos spem credere
[ponto,]

Elusit vano praeda exspectata labori,
Nequicquam infectum foedus cursusque pre-

[cantur!] Quattuor expletis, quum quinta advenerit
[hora,]

Tum tandem variare vices et corpora somno
Sole sub ardent, tacitae vel noctis in umbra

Missal levare cohors: alii, queis robore vires,
Succedunt, votique rei brevia omnia et aras

Lustrant qua datum iter. Caput his pro sorte
[pacisci]

Aequum est, et prohibere nefas; quum retia
[saxis]

Protinus accipiunt in procurentibus alti
Urgeri; erecti plausu fremitaque morantur.

Aemula successu exsultans tunc undique pu-

[bes] Agreditur: stridens iam volvitur ergata in
[orbes,]

Expediuntque manus nautae, funesque mini-

[strant]

Spe propiore lucri. Mediis heu visa secundis
Rebus sors fluere, incoptae et fiducia praet
[dae.

Sensit enim frustrata manus iam murice acuto
Obnixas haesisse trabes, scopulive latebris.
Quid faciant? qua vi saxis illisa vadisve
Eripiant miseri? intactum nil ante iuventus
Dura pati linquit: crebro, praeente carina,
Ante rudens iacitur rapiturque huc pendulus

[illuc,

Retia si modo quassans extricare cavernis
Dextra queat, quam, quae rite experientia
[ponti

Nautis arma dedit, suetaque diu extudit arte,
Arripiant. Praesto pini est grave robur acerbae
Quae nempe tuditis conversas accipit alti
Formas; huic omni veluti dentalia dorso
Alterno passim aptantur firmi ordine clavi.¹
Ergo qua truncos capiunt sedisse caverna,
Arma ferunt, nexit vinclis suspensa per ae-

[quor,

Accinguntque operi, donec vi iacta magistra
Limoso extricent certantibus aggere clavis,
Et praedas, quae forte manent, in tuta repa-

[nant.

Sin vero obiectis caeco sub gurgite inhaesit
Cautibus impingens piscatrix machina, du-

[ctor

Diversa expertus turmae instrumenta capessat
Edicit, frangatque agitans capita aspera saxi.
Iussa facit: scopulos iam supra ferreus urget
Circulus: ² imposito gemit alto pondere ru-

[pes,

Responsantque specus, rabidum sin ul aestuat
[aequor.

Ictibus assiduis tandem convulsa fatiscunt
Scrupea salsa, rotetque morae tali inscia pacto
Ergata permittunt, resoluta ambage, rudentes.
Hac insperata tandem mercede sequuta,
Quum iam ter quinos tantos sit passa labores
Turba dies, longorum operum refovere quiete

Corpora fessa licet. Cito colligere arma, ra-

[tique

Carbaseos aperire sinus, ventosque vocare
Dux monet, et nautis verbis gratatur amicls.
Fertur ovans, portumque petit telluris amore
Quisque suum, diversa prius lustrata retror-

[sum

Stagna legens: morsu iam cymbas anchora
[fundat.

Tum sylvas adeunt, vicina aut littora, mensas
Aggressi instaurare. Pyram de robore secto
Agglomerant medium, susceptoque igne le-

[betas

Ingentes, laticesque parant. Iam caesa vitelli
Membra natant et dura ceres, famis unica
[dona;

Pars ollam lignis trepidam despumat; anhelos
Pisces pars cineri flammis assare sedendo
Suppositis gaudet, modo quos collegit arundo.
At simul exstructas, oneratis lancibus, escas
Viderunt, rabiemque ex longo ventris acer-

[bam

Invitat genialis odor, convivia curant,
Diripiuntque manu. Miscetur sylva tumultu
Laeto omnis; sonitum rupes et littora pulsa
Ingeminant, alacres et pleno gutture sorbent
Evacuantque cados. Tum demum corpora,

[vino

Vincta, solo somnus nudo complectitur altus.
O fortunatos nimium, queis taedia ludi
Longa novi brevis hac census mercede re-

[pendit!

Et vix sub dio nocti aequata otia, mensae
Fercula et exiguae reparant, laudesque ma-

[gistri

Membra diu durata operi, atque in pristina
[vires.
Longe disparia heu miserae stant praemia
[genti,

Quae, penitus submersa, legens percurrit eoo
Oceano conchas, Indis solatia vulgo.

(Ad proximum numerum).

¹ Cur huic instrumento vernacula nomen *Sbirro* factum sit, facile intelligitur.

² Vulgo *Tortano*, qui XC circiter chiliogrammatum, ut aiunt, pondus aequat.

JOSEPHUS Dr. FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

AL

C. DEL VECCHIO